Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

gregem dei prouidentes non coacte sed sponta
nee secundum deum. neque turpis lucri gratia sed
uoluntarie. neque ut dominantes in cleris
sed forme facti gregi ex animo. et cum apparuerit
princeps pastorum. percipietis inmarcessi
bilem glorie coronam. Similiter adolescen
tes subditi estote senioribus. Omnes autem in
uicem humilitatem insinuate. quia deus super
bis resistit. humilibus autem dat gratiam.
Humiliamini igitur sub potenti manu dei
ut uos exaltet in tempore uisitationis.
Omnem sollicitudinem uestram proicientes in
eum. quoniam ipsi cura est de uobis. Sobrii estote et
uigilate quia aduersarius uester diabolus tamquam
leo rugiens circuit querens quem deuoret.
Cui resistite fortes in fide. scientes e
andem passionem ei que in mundo est uestre
fraternitati fieri. Deus autem omnis gratie qui uoca
uit uos in eternam suam gloriam in christo ihesu
modicum passos. ipse perficiet confirmabit
solidabitque. Ipsi gloria et imperium in secula
seculorum amen. Per siluanum uobis fidelem fra
trem ut arbitror breuiter scripsi obsecrans
et contestans hanc esse ueram gratiam dei in
qua statis. Salutat uos ecclesia que est in
babylone coelecta. et marcus filius meus.
Salutate inuicem in osculo sancto. Gratia uobis
omnibus qui estis in christo. Explicit prima
Epistola Petri. Incipit ii epistola Petri.

Symon pe
trus seruus
et apostolus ihesu
christi. hiis
qui coequalem
nobiscum
sortiti sunt
fidem in
iusticia dei nostri et saluatoris ihesu christi. gratia
uobis et pax adimpleatur in agnitione dei

nostri. quomodo omnia nobis diuine uirtutis sunt
que ad uitam et pietatem donata sunt per cogni
tionem eius qui uocauit nos propria gloria
et uirtute. Per quem maxima et preciosa nobis
promissa donauit ut per hec efficiamini diuine
consortes nature. fugientes eius que in mundo
est concupiscentie corruptionem. Vos autem
curam omnem subinferentes ministrate in
fide uestra uirtutem. in uirtute autem scientiam. in sci
entia autem abstinentiam. in abstinentia autem
pacientiam. in pacientia autem pietatem. in pietate
autem amorem fraternitatis. in amore autem frater
nitatis caritatem. Hec enim si uobiscum assint
et superent non uacuos nec sine fructu uos con
stituent in domini nostri ihesu christi cognitione.
Cui enim non presto sunt hec. cecus est et manu temp
tans obliuionem accipiens purgationis
ueterum suorum delictorum. Quapropter fratres magis
satagite. ut per bona opera certam uestram
uocationem et electionem faciatis. Hec enim
facientes non peccabitis aliquando. Sic enim habunda
ter ministrabitur uobis introitus in eternum regnum
domini nostri et saluatoris ihesu christi. Propter quod incipiam
uos semper commonere de hiis. Et quidem scien
tes et confirmatos uos in presenti ueritate.
Iustum autem arbitror quamdiu sum in hoc
tabernaculo suscitare uos in commonitione.
Certus sum quod uelox est depositio taber
naculi mei. secundum quod et dominus noster ihesus christus sig
nificauit mihi. Dabo autem operam et frequenter
habere uos post obitum meum uolo ut horum
memoriam faciatis. Non enim indoctas fa
bulas secuti notam fecimus uobis domini nostri
ihesu christi uirtutem et presentiam. sed speculatores
facti illius magnitudinis. Accipiens enim a deo
patre honorem et gloriam. uoce delapsa ad eum
huiuscemodi a magnifica gloria. hic est filius meus
dilectus in quo mihi complacui. ipsum audite.
Et hanc uocem nos audiuimus de celo allatam